

Dissertatio inauguralis medica, de modo utendi et regimine in thermis Silesiorum Hirschbergensibus observandis ... / [Christian Benedikt Schneider].

Contributors

Schneider, Christian Benedikt.
Alberti, Michael, 1682-1757.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Jo. Christiani Hendelii, [1739]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ah26tjh>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

MODO UTENDI ET REGIMINE

IN

THERMIS SILESIORUM
HIRSCHBERGENSIBUS
OBSERVANDIS,

Quam

AUSPICE DEO PROPITIO;

Et Consensu atque Auctoritate Gratiæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R A E S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.

CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES.

SORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONVENTIS,

ANNO MDCCXXXIX. D. SEPT.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICET

AUCTOR RESPONDENS

CHRISTIANUS BENEDICTUS SCHNEIDER,

Thermalis & ad Officium Kynast. Medic. Pract. juratus.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS JO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

47139/P

42600

ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DOMINO

JOANNI ANTONIO
DE SCHAFFGOTSCHE,

S. R. I. COMITI,

AC SEMPER LIBERO DE ET IN KYNAST,
LIBERO BARONI IN TRACHENBERG, HÆREDITARIO
DOMINO DYNASTIARUM GREIFFENSTEIN, KYNAST &c. &c.

AUREI VELLERIS EQUITI.

SACR. ROM. CÆS. REGIÆQUE CATHOLICÆ MAJESTATIS

CONSILIARIO ACTUALI INTIMO,
CAMERARIO,

IN DIETALIBUS PRÆSIDI ET SUPREMÆ REGIÆQUE
PER UTRAMQUE SILESIAM CURIÆ DIRECTORI,

NEC NON

DUCATUUM SCHWIDNICENSIS ET JAUROVIENSIS CAPITANEO,
SUPREMO HÆREDITARIO AULÆ PRÆFECTO ET AULÆ
JUDICI MERITISSIMO ETC. ETC.

COMITI, DOMINO AC MÆCE-
NATI SUO GRATIOSISSIMO

PERENNEM PROSPERITATEM.

О ПОСЛАНИИ
МОСКОВСКОГО ПАПЫ
ЛГИМОДЯДА

ДО МОСКОВСКОГО ВЕЛИКОГО КНЯЗЯ ОК
ОНДУЛЯНА УДАЧИ БЫСТАЯ СВЯЩЕН
НОЙ ЗИГИРДОВОЙ СВЯТИНЕЙ ЦАРЯ

ILLUSTRISSIME ATQUE EXCELLENTISSIME,

S. R. I. COMES,

DOMINE MÆCENAS GRATIOSISSIMÈ.



Nter Thesauros, quos Silesiorum montes Gigantéi in cryptis & penetralibus suis affatim condunt, cardinales fere sunt aquæ nostræ thermales. Nam licet nihil splendidius auro, nihil utilius ferro, nihil nuditius adamante, quæ singula cum simili-

bus in Sudetis reperiuntur ; nihil tamen
salubrius Thermis nostris, quæ hic peren-
ni flumine saliunt , aquamque soteriam
dulci murmure ebulliunt. Vendicant si-
bi Bajarum, Fabariensium, Aquisgranen-
sium, Carolinarum, Tœplicensium, Lan-
deccensium & quarum non? gloriam, &
tantum non, dudum multum inclaruere,
sed & adhuc annue secunda & semper re-
pubescente experientia maximopere incla-
rescunt. Cumulatur illarum fama, quod
longo jam ab ævo Illustriſſimos & Excel-
lentiſſimos Comites, DOMINOS DOMI-
NOS DE SCHAFFGO TSCH, bellandi
fandique potentes, tenuerint & adhuc te-
neant Heros & Proprietarios ; quantos
Codros! quantos Titos! quantos Numos!
Quis tantis sub alis non belle vixerit?
Quam lætè, quam tranquille, quam pro-
spere hic sit vitam agitare, ego tenuis qui-
dem, sed novissimus testis testatum facio.
Paucis multa dicam: vivo mea forte con-
tentus

tentus, felix, beatus. Ast unde hæc for-
tuna fors? Hujus post Deum teroptymum
unice Clementissimum & Generosissimum
STEMMA SCHAFFGOTTSCHIANUM
Autorem agnosco. TIBI cum primis IL-
LUSTRISSIME ET EXCELLENTISSIME
DOMINE COMES, res meas secun-
das, tempora prospera & Gargara bono-
rum debo. Per TE cœpit, per TE du-
rat, per TE & tanto Patre dignas, gene-
rosissimas mellitissimasque PROPAGINES,
jam nunc arte & marte clarissimas, peren-
nabit mea prosperitas. Hem! me feli-
cem! quin felicissimum! nisi hæc fata læ-
ta immerenter me tangerent & summæ
TUÆ Benevolentiae, qua ceu clementis-
simus Pater Patriæ in subditos & cives
nunquam non abundas, solummodo ad-
scribenda essent. Jam pridem quidem
manifestas & chartaceas dare grates, ceu
fert literatorum conditio, cordate moli-
tus sum; sed ut plurimum vanum & syl-

vestre meum scribendi genus hac de re me
abarcuit. Nunc autem propositum hoc
devinctum procrastinare nequeo. Acci-
pe ergo ILLUSTRISSIME, EXCEL-
LENTISSIME COMES, ET DOMI-
NE GRATIOSISSIME protot faven-
tiis in me indignissimum hactenus col-
latis, has publicas & diu debitas gratias, è
pio & sincerimo pectore depromtas, &
gratiouse permitte, quo schedulas sequen-
tes *de modo utendi & regimine in Thermis*
Silesiorum Hirschbergensibus observandis
debita, qua possum, reverentia, humili-
me inquam, in gremium TUUM depo-
nam, NOMINIQUE TUO ILLU-
STRISSIMO ET EXCELLENTIS-
SIMO ceu gratitudinis alicujus tesseram
subjectissime inscribam. Evidem non
sum nescius, munus, quod offero, vile le-
vissimumque esse, & quod tanto COMITI,
tanto DOMINO, tanto MÆCENATI
vix offerendum. Ast ne illud quidem i-
gnor-

gnoro, TE, ILLUSTRISSIME ET EX-
CELLENTISSIME COMES tam
inusatæ Clementiæ & humanitatis ex-
emplum prodere, ut, quod in gremium
TUUM deposuerint demississimi clientes,
id non tam conditione sui, quam eorum,
qui posuerunt, pietate votoque metiaris.
Quamobrem spero, fore, ut, quod pia de-
bitaque ductus observantia exhibere ausus
sum, id oculis gratiæ plenis, uti soles, a-
spicias, præsertim cum inquilina sint, & the-
sauros TUI OS vernaculos atque Gargara
Tua Patria attineant. Ego interim sum-
MUM NUMEN continuis flagitabo suspiriis,
ut TE, ILLUSTRISSIME ET EX-
CELLENTISSIME COMES, Gene-
rosissimumque TUUM STEMMA, pu-
blico bono natum & datum in Reipublicæ
ulterius emolumentum, Patriæ diutinum
ornamentum, justitiæ momentosum ful-
cimentum & clientum, inter quos & me
imposterum gratiose respicias, exoptatum
sola-

solatium, per plures annos sospitem & in-
columem servare velit. Dum vitam lar-
gietur divinum NUMEN, non desinam cœ-
litus perennantem gloriam & gratiam di-
vinam, quæ instar omnium est, appre-
cari


ILLUSTRISSIME COMES,
EXCELLENTIAE TUAE

Halæ Magdeburg. d. IX. Sept.
A. R. S. 1739.

obſervantissimus & ſubjeclissimus

Cliens

CHRISTIANUS BENED. SCHNEIDER.



PRÆFATIO.



Leganter, nec minus emphatice Silesiæ nostræ VIRGILIUS, M. JOHANNES FECHNERUS, *in Syntagmate dissertationum variarum p. 44. de monte Giganteo* ita scribit: *Jactat Silesia tantum montem, ut Sicilia Ætnam, Elis Olympum, Thessalia Ossam, Boeotia Parnassum, Thracia Rhodopen, Scotia Grampium, Islandia Heclam, Peruvia Potosium, alia alios.* Nos enim nostrum merito extollimus, quia nos extollit, Pace hujus Viri incomparabilis eadem methodo scribendi talia de Thermis nostris Hirschbergensibus dicam:

A 2

Jactat

Ja&t;at Silesia tantas Thermas, ut Italia Ba-
 jas, Lotharingia Plumbarienses, Rhetia Fa-
 barienses, Wetteravia Emsenses, Hassia
 Schlangenbadenses, Juliacum Aquisgra-
 nenses, Austria Badenses, Bohemia Caro-
 linas, Hungaria Budenses, alia alias. Nos
 enim nostras merito extollimus, quia nos
 extollunt. Loquuntur hæc anni, loquun-
 tur lustra, loquuntur secula. Quippe hæ
 nostræ non heri demum aut nudius tertius
 exortæ & secundo successu adhibitæ sunt
 Thermæ; ebulliunt jam per longum æ-
 vum salutarem suum laticem, innumeris-
 que & felicissimis innotuerunt usibus pra-
 cticis, ut inde Silesia nostra non sine ratio-
 ne iis gloriandi & superbiendi ansam ca-
 piat. Illarum solum natalem, situm, fa-
 ciemque externam, illarum naturam & e-
 lementa, illarum vires generaliores & spe-
 cialiores quam libenter hic debito verbo-
 rum memorarem apparatus, meritoque
 celebrarem elogio, qui ipse per decennium
 fere cognitas & ante fores salientes habeo;
 sed egerunt hæc jam pridem venerabiles
 antiquæ autoritatis, doctrinæ & experien-
 tiæ

tiæ Viri, SCHWENCKFELD, ZINDEL, PANSA,
 nostro vero tempore ADOLPHI & ZELLER, &
 nuperrime quidem conterminus & Ami-
 cus noster LINDNERUS, qui eas in Disquisitio-
 ne physico-medica *Volumini quarto Ephemeridum Nat. Cur.* annexa, concinne de-
 scripsit, ita ut supervacaneum quid moli-
 rer, si his consummatis conatibus novum,
 & protenuitate virium mearum minus ab-
 solutum subjungerem. Ne tamen omnis
 notitia Lectori desit, paucis hic in anteces-
 sum moneo: Thermas nostras in Silesiæ
 inferioris Ducatu Jauroviensi, meridiem
 versus, ad radices montium Giganteorum
 in amœnissima campi planicie prope
 Hirschbergam, celebratissimum & felicitissi-
 mum hactenus emporium, sitas esse. Co-
 minus illas ornant plurima ad ornamen-
 tum & commodum, catâ quam maxime
 Minerva, exstructa ædificia, nobilem &
 amplum constituentia pagum, a thermis
 Warmbrunn dictum, quem limpidissimus
 & dulcissimus fluvius Zackus, Silesiorum
 novissimus Hebrus, hic dulci murmure,
 illic garrulo strepitu peragrat. Eminus

& circumcirca jucundissimo & admirabili
 prorsus spectaculo Riphæi montes celeber-
 rimi sidera pene tangunt & stupendo pla-
 ne deliciarum, illecebrarum & divitiarum
 luxuriant apparatu. Intermedias plani-
 tudines condecorant florentissima prata,
 lætissimi campi, viridissima nemora, splen-
 didæ piscinæ, sonantes torrentes, loqua-
 ces rivuli, nectarei fontes, & quid non?
 aër diffunditur ubique sudus & sospes, &
 aquæ bibuntur per totum tractum salu-
 bres & purissimæ. Ipsæ thermales prode-
 unt e duobus separatis & ad passus duode-
 cim ab invicem distantibus scatebris, lati-
 cemque fundunt mollem, lubricum, sub-
 tepidum & quasi humano studio tempera-
 tum. Balneum unum per plurimorum
 lustrorum seriem agnoscit Proprietarios,
 Illustrissimos & Generosissimos Dominos,
Dominos Comites de SCHAFFGOTSCHE,
 Sago togaque longe decantatissimos, Do-
 minos meos gratiosissimos; alterum ad-
 modum reverendum Præpositum, Præpo-
 situræ & Ordinis Cistertiensis hic loci com-
 morantis & ad Abbatiam Grüssensem per-
 tinen-

tinentis; Inde ortæ sunt diversi tituli:
 das Schaffgotsche Bad, und das Probst-Bad.
Elementa, quæ in sinu suo recondunt, sunt
 partim primaria, partim secundaria. *Pri-*
maria constituunt spiritus lixivioso-sulphu-
 reus æthereo-aëreo elasticus, calor acce-
 ptissimus & aqua mollis & levis; *Secunda-*
ria sunt sal alcali fixius, terra limosa & un-
 etuosa, & magma subatrocœruleum, bitu-
 men vulgo dictum, prout hæc singula ex
 observationibus & experimentis patefiunt,
 quæ citatus D. LINDNERUS in sua disquisitione
 adducit, & ante tres & quod excurrit an-
 nos præsente & auxiliante me instituit. *U-*
sus, qui inde in genus humanum morbo
 fractum redundat, multiplex est. Mox e-
 nim Thermæ nostræ egregie tonum & ro-
 bur solidorum erigunt & firmant, mox san-
 guinis motum catholicum augent, circu-
 lumque ejus æqualem & liberiorem red-
 dunt, mox partes nimis exsuccas hume-
 stant, rigidas & tensas demulcent, strictas
 & crispatas referant, dolentesque leniunt,
 mox pandendo, incidendo, lubricando, re-
 solvendo & abstergendo variarum interna-
 rum

rum & pertinacissimarum obstructionum repagula laxant & deobstruunt, mox externis suggillationibus, suffusionibus, stagnationibus opitulantur, mox cutis vitia, desperatissima quoque, levant & consolidant. Hem! quantum Augiae repurgant stabulum medicum! Ut tamen hæc omnia tuto, jucunde & semper ad ægri palatum fiant, debita semper consilia, debita methodus, debitum regimen, debita diæta observanda sunt. Sed quomodo hæc plerumque observantur! Proh dolor! pro more seculi incurie, imprudenter, præcipitanter. Hinc non inconsultum duco, cum nunc temporis ratio & consuetudo publicum dare specimen literarium postulat, de MODO UTENDI ET REGIMINE IN THERMIS SILESIORUM HIRSCHBERGENSIBUS OBSERVANDIS, tanquam summe necessariis rebus, verba quædam facere. Scio equidem, autores supra allegatos eandem incudem tutuisse, sed rescio quoque, LINDNERUM id non præstituisse, neque nunc certis de causis præstitum esse; insimulque intelligo, me-

methodi veræ & regiminis recti nunquam
satis superque inculcandas esse regulas.
Prodeant ergo sequentes paginæ, tam in
supplementum Disquisitionis Lindnerianæ,
tam & quam maxime in novissimam no-
tam & normam omnium illorum, quibus
interest, quibus opus est, talia nosse. Faxit
Deus, ut singula ad ejus gloriam, Proximi
salutem & Thermarum ipsarum honorem
& famam ulteriorem cedant.

§. I.

VItam sanam & longam omnes quidem optant,
at pauci obtinent; cum rationem & metho-
dum, qua illam consequi possint, plerique mi-
nus sequantur. Proh nefas! luditur in Ther-
mis nostris non raro eadem scena. Invaluit enim in
multis detestabilis mos, quem juxta sani & ægri pro-
prio motu, proprio ausu, imo phantastico quodam
conceptu, nulla habita morborum, temperamento-
rum, ætatum, methodi, imo ne temporum quidem
ratione, nec præparati, nec evacuati, nec aliter dis-
positi aquas nostras ingrediuntur, illas per aliquot
tempus libere, incurie, incaute usurpant, & demum
pro iudicio ipsis solis optime viro eodem modo, quo
advenerunt, relinquunt. Quin quod ipsi Medici si-
mili tenore interdum peccent, non perpendentes
momentosum & studiose tenendum IOANNIS.

GRATIANI monitum, quod in disputatione *de viribus fontis Lælii acidi Recobarii* his verbis dat: *dicere ausim, vix ad ullum aliud medicaminis genus exhibendum, tanta circumspectione atque tam accurata consideratione opus esse, quam in prescribendis acidulis* (adde Thermis) *adbibeant Practici necessum est.* Hallucinantur certe non pauci, dum aquarum nostrarum tam nocendi, quam juvandi rationem, nec perspexerunt, nec ut intelligerent, unquam annuntiatur. Interim multa de illis precario credunt, & ex garrula vulgi fama lepide magis fabulantur, quam masculine judicant; ægrotosque suos quantos quantos ad Thermas nostras tanquam ad aram alegend, inter quos præprimis illi, quibus vel ad tempus carere cipiunt, vel quos omni sua arte ad sanitatem reducere dubitant. Periclitatur inde multis modis sanorum & ægrorum salus, & dantur scioli, qui inde Thermis nostris celeberrimis immeritam plane inurunt maculam. Patiuntur autem hanc non qua aquæ thermales Hirschbergenses, sed qua aquæ perperam, tergiversanter & sine debita methodo usurpatæ. Quare non inutilem me suscepturnum fore laborem spero, si in fronte hujus meæ disputationis ea, quæ hactenus ex multiplici experientia de norma & methodo Thermas nostras rite & recte usurpandi deprehendi, ingenue hic edissererem, & eo ipso levi & clandestino prætextui quorundam Medicorum denuo repugnarem, ac si tales methodi publice præscriptæ hactenus defuissent aut adhuc deessent, quod tamen utrumque veritati maximopere refragatur. Tali au-

tem

tem ordine procedam, ut primo, quæ proxime ante usum, secundo, quæ sub usu, & tertio, quæ post usum Thermarum nostrarum observanda sunt, tangam & aperiam; ubicunque supplices & ardentes preces in Deum Teroptimum quovis tempore & ab omnibus presupponens.

§. II.

Ante usum Thermarum nostrarum præprimis consilio prudentis & eruditii Medici opus est. Ut styllo germano, sic germana fide hac de re jam pridem egregie scripsit Silesiæ nostræ PLINIUS, D. CASPAR SCHWENCKFELD in *Tractatu, vom Hirschbergischen warmen Bade*, quando p. 58. inquit: Niemand soll sich zu diesem warmen Brunnen ohne Rath eines gelehrten und verständigen Medici verfügen und begeben. Denn weil solches Wasser nicht jedermann zusagt, noch vor alle Krankheiten kan gebraucht werden, soll man nichts aus eigenem Frevel fürnehmen, daß es nicht nachmahlen gereuen möge. Ihrer viele sezen ihre Zuflucht ganz und gar bloß auf das warme Bad, ziehen dahin ohne Rath, ohne alle Vorbereitung, baden ohne Ordnung, wie es ihnen aber bekommt, erfahren sie mit Schaden. Sit autem Medicus consiliarius non titulo & garrula tantum fama, sed exquisito judicio, re & facto talis. Talis inquam, qui ægroti ad balnea nostra transituri, quoad morbum, ætatem, vires, consuetudinem, temperamentum, sensibilitatem & corpus exactam habeat dignotionem, qui penitorem aquarum nostrarum quoad facultates, vires, modumque agendi

& utendi sibi comparaverit notitiam , qui denique cli-
ma nostrum montanum , aëris & cœli consuetas vi-
cissitudines, victusque & potus normam probe sciat,
& singula hæc pro circumstantiarum ratione in futu-
ram ægri salutem solerter ponderare , scite connecte-
re & prudenter adornare gnarus sit. Ubi autem ha-
rum cognitionum una deficit, (deficit autem quam
sæpe!) tunc nihil præpostere , nihil precario tentan-
dum; sed literæ cum Medicis sive methermalii , sive
conterminis Hirschbergenibus de statu ægri & mor-
bi prius miscendæ , & sic conjunctis viribus consilia
consiliis multiplicanda sunt. Dolendum vero, quod
hoc rarius fiat. Allegantur etenim plurimi ægro-
torum , aut potius relegantur ad thermas nostras abs-
que omni præhabita consultatione. Imo ne hanc
quidem hic loci multi admittunt, aut quando admit-
tunt, principalia Corporis damna ex nimia verecun-
dia, interdum etiam astutia, silentio tegunt, secun-
daria vero persuæstorie & incomplete narrant. In-
terim nullus, nisi lavatus, domum proficiisci satagit,
quamquam hoc pleræque circumstantiæ prohibeant.
Commonefaciendi ergo de integro sunt Medici, qui
aquas nostras soterias earumque modum usurpandi
non intime noscunt, ne hic levi brachio prætermittant,
quæ ipsorum conscientia, artis medicæ gravi-
tas, ægrotorum salus, & thermarum nostrarum dex-
tera fama omni modo postulant.

§. III.

Quibus nunc ægris Thermæ nostræ ex judicio
eruditæ & experti Medici salutem parere possunt, si
præ-

præprimis debite ad illarum usum præparandi sunt.
Ante omnia corpus a sordibus repurgandum est. Saburra enim sordium, quæ communiter in intestinorum canali restat, nisi congrue evacuata, maxima sub usu balnei incommoda creat. Pendent abhinc molestissimæ inflationes, quandoque etiam constrictiones abdominis, angustiæ præcordiorum, dolores prementes & laciniantes capitis, & ut paucis multa dicam, pendent abhinc mala proteiformia fere quæcunque, quibus alias hypochondriaci ex depravata diæta in quavis paroxysmi exacerbatione cruciantur. Blando etenim nostrarum Aquarum calore mucus & squalor intestinalis partim separatur & solvitur, partim exagitatur & effervescit, partim per vasa chylifera in sanguinem & inde per transpirationem auctam ad corporis corticem fertur, ubi cunque multifarias post se trahens ægritudines; quin quod sæpissime hic lateat causa excretionis cutanæ papularis, plane inexpectatæ, inutilis, symptomaticæ & interdum malecedentis. Alvum ergo ante usum balnei dextre solvere, quod iterum repeto, necessitas cogit; sed quibus auxiliis? drasticis & validioribus purgantibus? nequaquam! lubricantibus & blande laxantibus omni ratione; interdum etiam reiteratis vicibus. Solerter volvenda & revolvenda sunt Illustris Germaniæ Hydrographi, **F R I D . H O F F M A N N I** *Opuscula Physico-Medico Tom. II. p. 123. seq.* ubi eleganter & abundanter hoc de momento differit. Tempus autem alvum leniter subducendi opportunissimum judico tres vel quatuor dies ante introitum bal-

nei. Fit, aut tamen reiteratur hoc convenientius h̄c loci, ab iis pr̄sertim, qui ex dissitis oris huc concedunt, & sub itinere tœdia varia nauseosæ & inconsuetæ diætæ passi sunt. Valet quoque hæc renovatio emollitionis alvinæ de ægris intestinis & contermenis nostris, qui pro genio seculi nostri gulæ nimium indulgent, & miseros in se & mortiferos dies nimio luxu, dapibusque sicutis non tantum cumulant, sed præcipitant.

§. IV.

Porro ad exoptatum thermarum nostrarum effectum impetrandum summopere necessarium est, ut ante earum ingressum sanguinis copia sufficiente *Venæctione* minuatur. Non quidem omnibus subjectis indiscretim eam imperare præstat, sed iis imprimis, qui pulsus validiorem & vasa tumida exhibent, qui faciem rubro & vivido colore perfusum gerunt, qui cibos & pocula promte appetunt vitæque genus otiosum & inertem colunt, qui denique venæctionibus, hæmorrhagiis & commotionibus sanguineis assuerti, aut quibus hæmorrhoides vel menstrua restant. In his si neglecta fuerit sanguinis missio, noxæ subsequuntur non simplices; nam præter capitis & artuum dolores, lassitudines, rheumatismos, calorem internum & sitim, palpitationes cordis, angustationes præcordiales, inflammations, infarctus viscerum & plurima alia incommoda, simul aquarum nostrarum operatio varie turbatur, quin interdum plenarie impeditur. Libere enim per vasa & musculos sanguine nimium fartos agere neque-

nequeunt. Eadem ratio est *Scarificationis*, quam
multi Medicorum hodie admodum flocci pendunt.
Hanc autem semper suadeo illis, qui eidem jam diu
assueti & spongiosum, luridum & sanguine tumi-
dum corporis habitum ostendunt. An vero hæc &
venæsecțio, an solutio alvi prius instituenda sit, non
in genere & consummatim decerni potest. Variant
quippe ægrotorum ætates, corpora, vietusque po-
tusque consuetudines. Ubi tamen nimia cruoris
abundantia urget, nunc venæsecționem, nunc sca-
rificationem, aliquot ante laxationem diebus admit-
tendam inculco, imprimis in sensibilioribus & agi-
lioribus subjectis. Interdum etiam sanguinis missio-
nem exteris, & qui illam non propediem passi sunt,
hic loci renovandam consulo, prout ferunt circum-
stantiarum causæ. Hac ratione metuendæ & anci-
pites ad partes interiores congestiones, inflammatio-
nes & infarctus præoccupantur, plurimaque alia ma-
la secure anteveruntur.

§. V.

Hæc sunt palmaria monita, quæ ante usum ther-
marum nostrarum necessario observanda sunt; se-
quuntur nunc illa, quæ *sub illarum usu* animadverten-
da veniunt. Ubi in antecessum adhuc monendum,
quod æger, antequam in balneum descendat, domi
urinam reddendam, alvumque, si fieri potest, depo-
nendam habeat. Insuper patellas aliquot infusi thee
aut theiformis, aut jusculum tenue sorbillit, postea
in solium transeat corpusque aquis placide immit-
tat. Fit hoc consultius matutino tempore pia spe,

hila.

hilari mente, & lœta fiducia. Insidendum autem
 prima vice non ultra dimidiā horam, & semel qui-
 dem in die, sequenti diluculo ad horam, subsequen-
 ti ad horam & dimidiā, postea ad duas, sed non ul-
 tra; iteratis nunc quoque vicibus, mane & meridie.
Attamen & hic prudentis & periti Medici consilio o-
 pus est. Variant quippe admodum circumstantiæ,
 & dantur saepius subjecta, quibus usus thermarum
 neque plenarius per duas horas, neque geminus in
 die conductus, quod maximopere perpendendum est.
 In tenerioribus subjectis non raro autor sum, ut me-
 ridiano balneo aut sparsim utantur, aut tantum per
 unicam horam, quod nunquam sine fructu fuit. Cor-
 pus e balneo surgens mox sudario aut linteis siccis
 & calefactis detergendum, inducio, levibus vesti-
 mentis aut caldariis muniendum, atque cautissime
 providendum est, ne aer nubilus, pluvius aut frigi-
 dior istud allabatur. Hoc enim momento nauci fa-
 eto, omnis & princeps thermarum nostrarum esse.
 Etus remoratur, transpiratio liberior & inde depen-
 dens sanguinis depuratio inhibetur & ad plurima ma-
 la, ea que ardua, via panditur. Aegri domum rever-
 si se mox post balneum egressum in lectum reclinent
 & ad dimidiā vel integrā horam lenem eliciant su-
 dorem, eumque in finem aliquot vascula infusi thei-
 formis epotent. Quibusdam etiam tunc perficitio
 cutis panno calefacto conductus, imprimis paralyti-
 cis & qui insigni membrorum languore & lassitudine
 detinentur. Illis autem, qui multo spumant sanguine,
 summe plethoricis inquam, sudoris provocatio

in

in lecto haud prodest; humores enim magis inflamat, quam emundat. His potius egresso balneo placida quies confert, sive sedendo in sella, sive recubando in lecto, verum absque stragulorum tegmine. Notandum insuper, sudoris allestationem post balneum matutinum semper potiorem esse illa, quæ meridiano aut plane vesperascente die proritatur, minus jejuno ventriculo, sed pro more obsoniis & cuperdiis multifarie gravato.

§. VI.

Sub usu Thermarum alvus semper sit libera & laxa, eamque ob rationem apprime præstat vesperi subinde juscula ex prunis cum passulis confecta sorbillare, aut pro circumstantiarum modo denuo lene laxans usurpare. Pilulas Stahlianæ sæpius cum frumentu propinavi, imprimis fœminis, quibus debile nervorum systema, & ventriculi intestinorumque tonus valde destructus insuperque menstrua restant. Aliis mannata, aliis salia neutra, aliis clysteres ordinanda sunt. Plethoricis qui levi de causa congestionibus sanguineis completis & incompletis obnoxii sunt, qui præterea humiles & frugales mensas despiciunt, laute vivunt, multoque vino incalescunt, pro circumstantiarum ratione venæficationem reiterandam suadeo, epulasque regales & suavia dona patris Lyæi interdico. Sed dolendum, præbent hi luxuriosi ventris alumni & populatores opum difficiles admodum aures. Nolunt genium suum defraudare; ast se ipsos defraudant. Quibusdam sub usu balnei sanguis æstuat & fauces nimia siti arent; his expedit, ut ve-

speri ante lecti introitum, aut etiam post prandium pulverem præcipitantem nitrosum sumant, sufficien-temque aquam frigidam succo citri saturatam super-bibant, abstinendo in cibo & potu ab omnibus calidis aromaticis & commoventibus. Sic æstus & fitis faci-le componuntur, insimulque excretionis alvinæ suc-cessus propter nitrosa cum fructu facilitatur.

§. VII.

Balnei usus pro ægri morbique ratione ad tres, quattuor, imo ad sex hebdomades prorogari potest. Communissimus hic mos est, ad quatuor septimanas commorari; verum neutquam hoc indiscretim valet, sed Medici expediti judicio penitus relinquendum est. Quidam Thermas nostras morbo relevati post quatuordecim dies læti relinquunt, quibus ulte-rior usus nocumento fuisset; & quidam post quatuor septimanas invalidi adhuc & morosi decedunt, quibus longior mora emolumentum dedisset. Valet hic o-mni ratione tritum illud: Sit modus in rebus sint cer-ti denique fines. Minime tamen ex vulgi opinione ab omnibus tamdiu hic manendum est, donec cutis rubefiat & excretio papularis seu purpuracea prode-at. *Nam hæc curis efflorescentia*, ut recte monet *Dn. D. ADOLPHI* in *Disp. de Thermis Hirschberg.* p. 53. non semper & in omnibus ex necessitate accidit, & non raro est sa-gnum omisæ debitæ purgationis vel diætæ errorum demum commissorum, vel etiam balnei longius justo protracti. Ubi autem hæc tanquam critica in conspectum venit, quod utique sæpius accidit, illa quovis modo blando calore fovenda, & tunc cura per septimanam & ultra protra-

protrahenda, usque dum papulae purpureae exsiccantur & squamularum instar deciduae fiant. Sed poscunt haec iterum judicium periti & experti Medicis, qui cæterum despiciet, an balneantibus conduibile sit, ut aliis adhuc accommodis medicaminibus utantur, quo propositus finis eo certius & citius eventui respondeat. Tandem ubi Thermalis cura ad terminum tendit, atque ægri vires in pristina redire sentiunt, tunc gradatim iterum, ut primis diebus inchoarunt, balneare desinant, usque ulteriori inter preces & gratiarum actiones ad Deum fusas debitam metam figant.

§. VIII.

Post plenarium usum lavati non illico iter meditentur, laremque propediem petant, sed prius adhuc in Thermis nostris per tres aut quatuor dies quiete degant. Suadendum hoc est illis maxime, qui exteras oras penetrare habent & longo intervallo a nostris distant. Sub itinere omni studio aër frigidus & nebulosus vitandus & quam maxime, ubi corpus a viribus balnei subsequentibus leni sudore adhuc perfunditur, aut cutis quodammodo excoriata cernitur. Præstat tunc infuso theiformi, quandoque etiam essentia alexipharmacæ aut pulveribus bezoardicis temperatis uti, corpusque caldamentis aut veste pellicea præ auræ injuriis munire, ne occlusis subito cutis poris subsequens adhuc Thermarum nostrarum operatio turbetur & variæ noxæ subsequantur. Ubi domum ventum est, per septimanæ debita adhuc servanda est victus & potus ratio, ea scilicet, quam ther-

mæ nostræ hic locia balneantibus postulant. Robustioribus, quibus neque sudores manant, neque reliquæ papulares cutim rodunt, lenis denuo laxatio propinanda; ubi autem prius accidit, non abs re erit, quavis septimana semel aut bis balneum ex aqua dulci, aut per artificium medicum paratum usurpare, ut successus transpirationis quodammodo foveatur, & reliquæ humorum excernendorum integre excernantur.

§. IX.

Hætenus de méthode utendi Thermas nostras differui, nunc de *Regimine* in illis observando quædam fari necessum duco. Quod aër nubilus, pluvius & subfrigidus summopere vitandus sit, jam supra monui; hinc eadem de nimis calido judico, disfracrat enim & exæstuat plus justo humores corporis nostri, & ad ebullitiones, stagnationes inflammationsque nimium disponit, quin quod molestissimum calorem & diram sitim causetur, communia per se plethoricorum & cholericorum sub usu balnei symptomata. Sit ergo aër ubique temperatus & feligatur tempus ambulandi neque æstuante sole, multo minus altercantibus, aut plane bacchantibus ventis. Vesperi quoque diutius sub dio nunquam commorandum est; Phœbo enim abscondito fere semper in nostris confiniis montium nivosorum aura spirat subgelida. Cubiculum ipsum sit, quantum fieri potest, serenum, non nimis angustum vel depresso, multo minus situ obductum, humescens aut plane effluviis fœtidis & noxiis fumeum. Noctu sit semper clausum, ne per fene.

fenestras aër nebulosus & imbrifer, aut horrifer Bo-reas irruat & transpirationi nunquam non salutari **damnosum** ponat obicem.

§. X.

Conueniens viētus ratio semper habenda & diæ-ticæ leges exquisite animadvertisendæ sunt. Hinc ægri vescantur facilis digestionis & bene præparatis, v. gr. carnibus animalium juniorum, columbarum, pullorum gallinaceorum, gallinarum, caponum, vitulorum, agnorum, leporum & similiūm, quorum longum necit catalogum **S C H W E N C K F E L D U S** noster in *cit. Trost. de Thermis Hirscberg.* p. 80. sq. Ex piscibus trutti, funduli, percae, lucii &c. in deliciis sint. Sic etiam ova sorbilia, pultes & juscula avenacea ac hordeacea conveniunt. Vitentur autem omnes cibi indurati, falsi, concoctu difficultes, marini, acidi, fermentescibiles, lacticinia & flatuum proven-tui faventes. Absit insimul omnis luxuria, plenitudo & ingurgitatio, infinitorum malorum minera & causa. Ubique potius simplicitati in viētu studendum est. Nihil quidem hodie consuetius, sed nihil quoque nocentius, sanitatique magis inimicum, quam cibos ratione saporum & facultatum sibi invicem ad-versarios, dulces, acidos, aromaticos, falsos, insulfos, fervidos, frigidos in uno pastu sumere, uti nunc omnem in id operam impendunt coqui, quo palatum transitoria voluptate titillent & demulceant. Aureum est dictum, quod hac de re **S E N E C A epist. 95.** ha-bet: *Immunes erant a tot morbis, qui nondum se deliciis solverant, qui sibi imperabant, sibi ministrabant.* Simplex

*erat ex simplici causa valetudo. Multos morbos multo fer-
cula fecerunt. Vide quantum verum per unam gulam tran-
situram permisceat luxuria, terrarum marisque vastatrix.
Innumerobiles esse morbos, miraris? coquos numera. Nun-
quam etiam balneum pleno ventre ineundum, aut
statim post ejus usum prandendum & cœnandum.
Neque Thermarum usu ad finem deducto commis-
sationibus & crapulis plusquam bæotice indulgen-
dum. Accersuntur hoc modo facile febres & qui-
cunque morbi stomachales.*

§. XI.

*In Potu etiam debitæ sunt observandæ cautelæ.
Quorum ventriculus aquam frigidam ferre consue-
vit, ii sub usu Thermarum aquam bibant, & talem
quidem tanquam optimam & dulcissimam, quæ hîc
loci ex fonte Schmiedebrunn dicto capulatur. Qui
autem naturalissimum hunc potum fastidiunt, illis ce-
revisiæ temperatae, tenues & non facile acescentes
concedendæ sunt. Talismodi bonæ notæ cerevisiæ
in contermino pago Hermsdorff braxatur, & a plu-
rimis cum gustu & successu potatur. Potum thee
jam supra laudavi; potum autem Coffee imprimis
ob inimicam narcosin sæpius dissuadeo; ad minimum
detestabilem plane consuetudinem improbo, qua
quidam infusum hoc non semel, sed bis vel aliquoties
de die & saturatissimum quidem hauriunt. Vinum
generosissimum, quale apud nos Hungaricum habe-
tur, aut etiam Rhenanum, inter cibandum parce sum-
tum cor recreat stomachumque confortat. Imprí-
mis vero ab iis secure bibendum est, qui usui illius
alias*

alias assueti sunt. Quidquid enim de ejus noxa sub usu Thermarum communiter dicitur, de abusu tantum intelligendum est. Reete monet FRIDER. SCHRADERUS in Disp. de Regularum Sanitatis prudenti applicatione §. 30. Ridendos illos puto, qui vinum, quod veteres philosophi adversus senectutem præsidium esse dicebant, humanæ vitæ pestem ex abusu criminantur, qui bene fecisse Lycurgum quod de vitibus extirpandis edicta sanxerit, & sic etiam consuluerit sanitati ganniunt. Videntur tales illis mibi similes, qui mel ideo oversantur, quod apum aculeis aliquando fuerunt læsi. Rerum optimarum abusus est pessimus, adeoque ipsi vino crimen non imputandum, sed abusui. Absit igitur omnis nimetas aut plane crapula, quæ sanguinem & humores inflammat & conseptariis pessimis ansam dat facillimam. Vinum parce bibendum, sed minime pro more seculi hauriendum poculisque certandum est.

§. XII.

Æquilibrium, uti in omnibus rebus nonnaturalibus, sic quoque in somno, motu & quiete servandum est. Somnus non sit nimius & ex ignavia in longam diem protractus. Motus corporis sit sufficiens, sed nunquam ad plenariam fatigationem usque. Instituitur optime hora proxima ante prandium & cœnam ambulando per hortos, per vicos, per prata, per nemora, in colles, in montes. Quibusdam vectura, quibusdam equitatio conductit. Sit autem semper motus placidus & moderatus. Sollicitate evitentur omnes impetuosæ animi commotiones &

& ad tristiciam & in mœrorem occasiones. Mens
in Thermis requiritur tranquilla, læta, curarum ne-
scia. Nocet tamen gaudio disfluere. Præstat ven-
to valde secundo turgida vela contrahere, animum
colligentibus cogitationibus & contractiore fronte
hilaritatem interstinguere. Valet ubique in diæta
vulgaris & notissima parœmia, qua cum hanc meam
disputationem nunc obsignare volo: *Medio
etutissimus ibis.*

